

212. 524, 53.

B. m. II

II C
664

Q. D. B. V.

AVSPICIO RECTORIS MAGNIFICENT
SERENISSIMI PRINCIPIS REGII
DOMINI

FRIDERICI AVGVSTI
CICERONEM
MEDICVM

PRAESES

M. IO. SAMVEL BERGERVS
VITEMBERG. SAXO

COMMILITONE

SAMVELE CHRISTOPHORO VRSINO
MED. C

DISSERTATIONE PRIORI



X. KAL. IUNIAS
A. R. C



∞ IO CC XI

COMPROBAT PARITER AC TVETVR

VITEMBERGAE SAXONVM
PRELO SCHVLZIANO

FRIDERICVS AVGVSTVS
CICERONIVS
MEDICVM

M. JOHANNES BERGERVS

SAMVVE CHRISTOPHORO VERINO

1733
L. B. C. N.
L. B. C. N.
L. B. C. N.



I.

Quomodo omnes temporum uicissitudines suos eruditionis gradus agnoscant, atque a se inuicem, ueluti characteribus quibusdam, distinguantur, tum hodiernum orbis eruditi florem siquidem consideres, eum esse facile reperias, qui a pristina elegancia quamuis non parum absit, ad eandem tamen erigere se paulisper, atque aspirare auidius uideatur. Neque enim elegancia, si quae sunt, ingenia, uulgo eruditum imitantur, atque unius scientiae terminis coerceri se patiuntur, sed diffundunt se paullo latius, ac principes quasque doctrinas mentis ubertate dimetiuntur. Quod dummodo ne ita fiat, ut ubiuis, tanquam in locis peregrinis, oberrent, nec usquam pedem certiore figant, tantum abest, ut uitio uertendum arbitremur, ut potius omni laudis genere efferamus. Etenim in omnibus, quae liberales appellantur, disciplinis eiusmodi subsidia latent, quae aliis artibus inseruiunt, et ad aliarum rerum intelligentiam mirum quantum facere animaduertuntur. Quod quidem literis operam dandi genus nec ueteres fugit, uerum ἐγκυκλοπαιδείας titulo uenit, suaque utilitate omnibus fuit commendatum.

II.

Atque haec uariarum rerum cognitio cum certa ratione a quouis eruditorum postuletur, tum Oratorem in primis decet, cuius officium est, quaqua occasione idonea ad persuadendum argumenta excitare. Enimuero, quemadmodum grauissimus Rhetor, Aristoteles, rhetoricam definit, quod sit facultas uidendi *περὶ ἑκάστων*, quid ad persuadendum sit accommodatum. Rhet. Libr. I. c. 8. edit. Venet. Majora-

gii: ita, qui eum sequuntur magistrum, facile agnoscunt, Oratorem demum laude dignum illum esse, qui omnes scientiarum recessus adierit pariter, atque explorarit. Vnde Fabius L. II. Instit. Orat. p. 134. *Oratori, inquit, quae sunt in hominum uita, quandoquidem in ea uersatur Orator, atque ea est ei subiecta materia, omnia quaesita, audita, lecta, disputata, tractata, agitata esse debent.* Immo uero ipsemet Cicero Lib. III. de Oratore testatur: *Veteres Oratores usque ad Isocratem omnem omnium rerum, quae ad mores hominum, quae ad uitam, quae ad uirtutem, quae ad rem publicam pertinebant, cognitionem & scientiam cum dicendi ratione coniunxerunt.* Et Lib. I. de Oratore, *Mea quidem, inquit, sententia nemo poterit esse omni laude cumulatus Orator, nisi erit omnium rerum magnarum atque artium scientiam consecutus.* Ne quid tamen dissimulem, Fabius hic paulisper a Cicerone abire uidetur, qui satis esse existimat, Oratorem eius rei esse non incertum, de qua dicet. Lib. II. Instit. Vnde factum est, ut Rhetores, et speciatim Vossius, aliam materiam Rhetorices facerent communem, quaestiones nimirum omnes, siue sint θεωρητικαί, siue πραγματικαί, aliam uero propriam Oratori, quaestiones nimirum practicas, propterea, quod hae in primis ueniunt in consultationem Lib. I. Instit. Orat. cap. I. p. 2. Nullus uero facile inficietur, alias artes aliis magis esse necessarias, ac Mathesi facilius et Physica, quas Cicero illi alias commendat ad Brutum p. 161., quam Logica et Ethica carere. compara Vossium Lib. I. Instit. Orat. c. 2. p. 3. Et sane Logices necessitatem ipsemet Cicero agnoscit l. c., nec Philosophiam de uita & moribus minus his uerbis commendat: *Sed si me audierit, quoniam Philosophia in tres partes est distributa, in naturae obscuritatem, in differendi subtilitatem, in uitam, atque mores, duo illa relinquamus, idque largiamur inertiae nostrae, tertium uero, quod semper Oratoris fuit, nisi tenebimus, nihil oratori, in quo magnus esse possit, relinquemus.*

III.

Ex Oratoribus uero Romanis maximam eloquentiae famam consecutus est Cicero, ita quidem, ut iam tum ueteres, iidemque Graeci, etiam dubitauerint, utrum Demosthenes Ciceronem, an Cicero Demosthenem, eloquentiae laude superarit. Quamobrem non Fabius solum confitetur, Ciceronem non hominis amplius, sed eloquentiae nomen haberi Lib. X. Instit. c. 1., uerum Plutarchus quoque, quamuis Poeseos gloriam ipsi deneget, facundiae tamen excellentem facultatem facile largitur. Ἐδοξεν, inquit, ἔ μόνον ἐήτωρ, ἀλλὰ καὶ ποιητῆς ἀριστος εἶναι Ῥωμαίων. Ἡ μὲν ἔστ', ἐπὶ τῇ ῥητωρικῇ δόξῃ μέχρι νῦν διαμένει, καίπερ ἔ μικρᾶς γεγεννημένης περὶ τὰς λόγους καινοτομίας, τὴν δὲ ποιητικὴν αὐτῆς, πολλῶν ἐπιγενομένων, παντὰ πασιν ἀκλεῖη, καὶ ἀτιμον ἔρευν συμβέβηκε, in Cicerone p. 861. Idem, cum Ciceronem cum Demosthene componit, diffiteri non potest, quod Cicero Demosthenem eruditionis copia post se reliquerit, adeo, ut καὶ διὰ τῶν πρὸς τὰς δίκας, καὶ τὰς ἀγῶνας, γεαφομένων λόγων ἐμπειρίαν τινὰ γεαυμάτων παρεπιδείνυσθαι conetur, in Cicerone p. 886. Immo dubitat nullus, quin πολυμαθείας gloriam, conceptis uerbis, ipsi uindictet, γεόμενον δ' ὡσπερ ὁ Πλάτων ἀξιόσι, τὴν Φιλομαθῆ καὶ Φιλόσοφον φύσιν, ὅσος ἀσπάζεσθαι πᾶν μάθημα, καὶ μηδὲν λόγῳ, μηδὲ παιδείας ἀτιμάζειν εἶδος l. c. p. 861. & adhuc clarius: Κικέρων καὶ πολυμαθῆς, καὶ ποιικίλος τῇ περὶ τὰς λόγους σπαδῇ γεόμενος. l. c. p. 888. in quo consentientem habet ex iunioribus Rapinum: Ainsi il parcourut a l'age de dix sept, & de hix-huit ans avec une rapidite d'esprit incroyable l'etendue presque immense de toutes les sciences, qui peuuent estre utiles a l' eloquence, pour laquelle il auoit une passion demesuree. in Comparatione Demosthenis et Ciceronis p. 11. et iterum: Au lieu que Ciceron, f'ouurant une carriere bien plus uaste, dans la poursuite uniuerselle de toutes les sciences, les parcourut avec une application infatigable, et se remplit l'esprit de toutes les connois-

fances, qui pouuoient l'embellir I. c. p. 13. Et sane optimos quosque praeceptores habuit, qui Romae Philonem Academicum, Athenis Antiochum Ascalonitam in Philosophia audiuit. In Iurisprudencia uero operam nauauit Mutio Scacuo- lae, in Asia Xenoclem Adramytenum, Magnetem Diony- sium et Menippum Carem, Rhodi denique Apollonium Ora- torem secutus est, qui commemorabile eruditionis Cicero- nianae testimonium reliquit. Cum enim eius iussu Cicero graece declamaret, et expectaret, ut Apollonius ea de cau- sa eum laudaret, is contra tristissimus esse omnibus uisus est, at- que interrogatus, qua id de causa fieret, *Σέ μὲν, inquit, ὦ Κικέρων, ἐπιανῶ καὶ θαυμάζω, τῆς δὲ Ἑλλάδος οὐκ εἶρω τὴν τύχην, ὅρων, ἃ μόνον τῶν καλῶν ἡμῶν ὑπελείπετο, καὶ τὰντα Ῥωμαίοις διὰ σε προσγενόμενα, παιδείαν τε καὶ λόγον.* Plutarchus in Cicerone p. 862. 863. Ex quibus patet, Ciceronem uario scientiarum genere cultum fuisse atque ornatum.

IV.

De arte tamen salutari forte quis dubitare posset, utrum Oratorum Romanorum princeps in ea fuerit uersatus. Quo maiores enim illa, magisque occultos, habet recessus, hoc alienior ab Oratore esse uidetur. nihilo uero minus nec hanc negle- ctam ab eo esse, illi constabit, qui libros eius diligenter euol- uit. Neque enim tantum aliquam eius artis notitiam inde sibi comparauit, quod nonnullos forte libros de ea inspexit, sed et frequentissime cum Medicis conuersatus est, eosdemque de morbis hominum consuluit. Nominare hic licet Ascla- ponem et Asclepiadem, quorum altero in morbo Tyronis Lib. XVI. ep. ad Fam. 9. p. 768., altero familiariter, & ad corporis curationem, est usus Lib. I. de Oratore p. 71. Quemadmodum igitur Excellentissimus D. Brendelius Homerum Medicum erudita dissertatione quondam delineauit: ita placet nobis in praesenti Ciceronis, ex relictis ab eo ingenii monumentis, rerum medica- rum cognitionem demonstrare, quod ita tamen faciemus, ut po- tiorē

tiolem partium rationem maxime habeamus. Solent autem Medicorum magistri totam, qua patet, artem diuidere in ea, quae prius cognoscenda sunt, quam ad ipsam artem accedamus, atque in ea, quae ipsam artem constituunt, ad quae cum eas reuocant partes, quae finem spectant, et uel conseruant corporis ualitudinem, quam ὑγιεινήν uocant, uel collapsam restitunt, et θεραπευτικὴν appellant; tum quae ministrarum munere defunguntur, atque ad finem obtinendum concurrunt. Quorum pars mentem rerum cognitione imbuit, quo nomine Physiologia, Pathologia et Semiotica laudantur; pars uero docet notitiam remediorum, pro conseruanda et recuperanda sanitate necessariorum, in quem numerum Chirurgiam, Pharmaciā et aptam uiuendi rationem, seu Diaetam, reuocare solemus.

V.

Vt itaque ea, quae ad artem salutarem addiscendam cognitu ante sunt necessaria, non prorsus omittamus, indicari par est, quod officium medici Cicero probe habuerit perspectum. Existimat enim hoc consistere in eo, ut *apposite ad sanandum curet*. Lib. I. de Inuent. Rhetor. p. 36. In quo consentientes habet principes ueterum Medicorum, ex quibus Hippocrates Lib. de Arte Sect. I. op. p. 7. τῶ ἰητρῶ γὰρ ξυνέσιός ἐστιν τὸ εἰδέναι τῶν νόσων τὰ αἴτια, καὶ τὸ θεραπεύειν αὐτὰς ἐπίσασθαι, πάσῃσι τῆσι θεραπεύειν, αἱ καλοῦσι τὰ νοσήματα μεγαλύνεσθαι. et Galenus Tom. II. Op. Part. IV. θεραπευτικῆς μεθόδε; p. 49. πρῶτον καὶ μάλιστα τῶτο σπευδάξουσιν οἱ ἰατροὶ, καὶ τῶτο σχεδὸν αὐτῶν ἔργον ὑπάρχει ἴδιον, ἐκκόπτειν τὰς νόσους. Audiuimus hic par Medicorum maximorum, ex quorum uerbis, cum Ciceronis sermone collatis, cum finem Medici, quem Philosophi uocant, internum, nimirum curationem ad sanandum apposite, tum externum, nimirum sanationem ipsam, quisque facile perspicere potest. Nec opus est, ut de obiecto primario Medici multis agamus, quod morbos esse nec quisquam ignorat, et cum ex Ciceronis a me adductis uerbis, tum ex laudatis Medicorum patribus, facile patet. Ante

Ante uero, quam ad partes medicinae principes accedamus, unum adhuc monebimus, quod ad historiam medicinae spectat Lib. enim III. de Nat. Deorum p. 1145. ex ultima, et fabulosa fere, medicinae historia docet, *Aesculapeos primos fuisse, qui cum Chirurgiae, tum Therapeuticae iecerint fundamenta. alterum enim, Apollinis filium, primum uulnus obligauisse, et specillum inuenisse, narrat, alterum uero primum purgationem alui, dentisque euulsionem, excogitasse.* In quo quidem Graecorum optimos inter se conuenire uidemus, ex quibus uel unum Galenum sufficiet audiuisse. Enimuero is Libro, quem medicum, aut Isagogen uocauit, dummodo ille liber Galeni est, fatetur, & ceterarum artium inuentionem Graecos aut filiis Deorum attribuisse, aut aliis, procul ab iis distantibus, adiudicasse, et τὴν ἰατρικὴν πρῶτον Ἀσκληπιὸν παρ' Ἀπόλλωνος τῶ πατρὸς Φασιν ἐκμαθεῖν, καὶ ἀνθρώποις μεταδῆναι, unde et inuentorem Medicinae proximis illum uerbis uocat, et τελείαν ἰατρικὴν, καὶ τῆς αὐτῆς μέγεσι συμπληρωμένην, τὴν μὲν ὡς ἀληθῶς θεῖαν Ἀσκληπιὸν μόνον εὐρεῖν, τὴν δ' ἐν ἀνθρώποις τῶς Ἀσκληπιάδας παρὰ τῆς διαδεξαμένης τοῖς ἔπειτα παραδῆναι, μάλιστα δὲ Ἰπποκράτην, ὅς πάντων ὑπερῆνευκε, καὶ πρῶτ' εἰς Φῶς ἐξήνευκε τὴν τελείαν παρὰ ἑλλήσιν ἰατρικὴν. Tom. II. Op. Part. IV. p. 371, Nec aliter Medicorum Cicero, Celsus, hac de re existimat, sed uetustissimum auctorem Aesculapium celebrat, qui hanc scientiam paullo subtilius excoluerit, atque ideo in Deorum numerum fit receptus. compara Lib. I. de Medicina p. 1. A nostro tamen in eo abire uidetur, quod uulneribus tantum modo ferro et medicamentis mederi solitos Aesculapeos, atque has partes medicinae solas ab his esse tentatas, censet. l. c. p. 2.

VI.

Iam procedamus ad rem ipsam, atque intueamur, quid Cicero perspectum habuerit ex illis, quae ad ualitudinem conseruandam faciunt, atque adeo ad ὑγιεινὴν reuocantur. Pandit autem magnum eiusmodi subsidiarum catalogum Lib. XVI. Epist. ad Fam. ep. 18. ubi commendat Tironi, ut inferuiat ualitudini, quae postulet πέψιν, ἀκοπσίαν, περίπατον σύμμετρον, τέρψιν, ἐυλύσιαν

εὐλυσίαν κοιλίας p. 770. Primo posuit loco concoctionem, s. πέψιν, qua indicare uoluit, ei, qui suae uelit consulere ualetudini, operam esse dandam, ut, quae comedat, recte concoquantur, ac digerantur. Quem in finem Medici commendare solent diligentem masticationem. Neque enim quod non satis diuisum atque contritum est dentibus, facile a uentriculo confici potest, ex quo deinde fonte cruditates, et morborum materia, oriuntur. Quare etiam haec praeparatio ciborum in ore, iure quodam suo, tanti habita fuit ab Arabibus, ut animam suam male odisse dixerint, qui oderit eam. De eodem argumento egregie differit Auctor, qui ex Galeno, Ruffo et Possidonio, de melancholia scripsit. Cum enim hunc morbum a minus concoctis cibis deriuat, tum primum concoctionem bonam ad curationem illius requirit. *Πρῶτον, inquit, εὐπεψίας φροντίδα τίθεσθαι χρὴ, ἔπειτα δὲ καθαίρειν* Tom. II. P. IV. p. 470. Ceterum, quae partium studia inter ueteres Medicos de concoctione fuerint, docet in compendio Celsus Lib. I. p. 6. Sequitur ἀκοπία, quam uocem alii uitationem lassitudinis, alii uitationem aegritudinis, interpretantur. Litem uero totam dirimit Galenus, qui uarias uocabuli κόπης significationes euoluit, atque in iis non tantum ponit morbum, cum membra hominis ueluti contusa, et phlegmone obsessa uidentur, uerum etiam cum *δοχερῆ τινα καὶ ἀνιαράν ἀθήσων ἑαυτῶν κατὰ τὰς κινήσεις λαμβάνουσι*, quem affectum alios ἀρρητον, alios uero ἐλκώδη uocare, testatur Serm. V. ὑγιεινῶν Tom. II. P. IV. p. 248. Ut adeo utraque ratione uis uocabuli ἀκοπίας recte explicetur. Nisi forte quis propterea uelit seruare significationem priorem, quod sequenti notione: *περίπατον σύμμετρον* lassitudinem uitandam esse, indicari uideatur. Sed quicquid tandem huius sit, certum est, quod ad ualetudinem conseruandam utrumque accurate fit obseruandum. Quod si enim intelligas id de lassitudine membrorum, haec aut oritur ex immodicis exercitationibus, et laboribus, aut sine his etiam sentitur. Illa quidem sanis quoque accidere potest, sed facile in morbum degenerare, propterea quod acrimonia humorum tenuium et calidorum, ex qua ortum trahit, corpus

corpus erodit, stimulat et pungit. Haec autem ex uitioso quodam succo oritur, qui clanculum, et imprudentibus nobis, in corpore nostro succreſcit, atque adeo iam monſtri quid fouet, quo praefente fanitas corporis diu ſubſiſtere nequit. Nihil hic ex ingenio comminiſcitur, ſed ſequimur iterum Medicorum principes, Hippocratem atque Galenum, qui nos ita edocuerunt. ὁ μὲν, inquit Galenus, ἐπὶ γυμναſίοις ἀμέτροις γιγνόμενον κόπος ὑγιεινόν τε ſύμπτωμα ἔſτιν. ὁ δὲ τέτων χωρὶς, νοσῶδες T. II. P. IV. Oper. Serm. δ. ὑγιεινῶν p. 255. Deinde excitat et ipſe Hippocratis illud oraculum, et κάλλιſτα εἰρηῆθαι pronunciat: κόποι αὐτόματοι φεράζουσι νόσους l. c. quod continetur in aphoriſm. Hippocr. Sect. 7. Op. p. 343. Tandem addit cauſſas: δριμότης ὑγρῶν λεπτῶν καὶ δερμῶν διαβρωστικῆ τε καὶ κεντῆ καὶ νύττει τὰ σώματα. γίνεται δ' αὐτῆ ποτὲ μὲν ἐπὶ ταῖς ἀμέτροις κινήſεσι, ποτὲ ἐπὶ κακοχυμῖα τινὶ λεληθότως ὑποτραφείῃ, καὶ τέτους τοιάτους κόπους αὐτόματους Ἰπποκράτης ὀνομάζει. l. c. Quod ſi uero ἀνοπίαν de aegritudinis fuga accipiamus, quo pertinet Lectio antiqua nonnullorum Codicum, qui habent ἀνοπίαν, omnino et haec uitanda eſt illi, qui corpus ſanum integrumque conſerua-re ſtudet. Quemadmodum enim ut Galenus pronunciat. τῶν ἄλλων ἀπάντων παθῶν τῆς ψυχῆς οἱ πολλοὶ καταφρονεῖσι, καὶ τοὶ γε ὅταν ἐτέρως αὐτὰ πάχοντα ἴδωσι, καταγνώσκοντες, ἢ λύπη δ' ἀπασι φαίνεται κακόν, ὡς περὶ ὁ πόνος ἐν τῷ σώματι Tom. I. Sect. I. p. 357. Ita eodem auctore ὀλεθριώτατος ἔſτιν ὁ μελαγχολικὸς ἐπικρατῶν χυμὸς, ὅτι τε κρονηδέστατος αὐτὸς ἔſτι, καὶ διαβρωτικώτατος, καὶ δύſπεπτος, καὶ δυσενκάθαρος, ὅτι τε πλείους ἐστὶ δερμαſίας ἐνδεικτικὸς, ὅφ' ἧς κατοπτειθεῖς ἐγένετο Tom. I. Op. P. I. περὶ συſτάſεως ἰατρικῆς, p. 42. Huc pertinent uerba Ciceronis, quae ad Tironem conſcripſit: *Audio, te animo angī, et Medicum dicere, ex eo te laborare. Si me diligis, excita ex ſomno tuas literas, humanitatemque, propter quam mihi eſt chariſſimus. Nunc opus eſt, de animo ualere, ut corpore poſſis.* Lib. XVI. epiſt. 14.

VII.

Pergimus ad περίπατον ſύμμετρον, ſeu ad modicam deambulationem, quam Cicero exiſtimat, non parum ad tuendam fanitatem conferre. Nec uero hic male iudicat, propterea, quod deambu-

deambulatio nimia lassitudinem gignit membrorum, diligenter antea ab eodem prohibitam, prorsus intermissa concoctionem, quam promouendam mandauerat, impedit, mediocri autem ratione usurpata nec vires debilitat, et digestionem promouet ciborum. Atque haec quidem Cicero generatim monet. Contra ea Hippocrates, quem Celsus uirum, et arte, et facundia insignem, et primum ex omnibus memoria dignis Lib. I. de Med. p. 3. uocat, singula deambulationum genera figillatim describit, eandemque uirtutes enarrat. Alias enim attribuit τῷ περιπάτῳ ἀπὸ δέπνυς, alias ὀρθροῖς περιπάτοις, alias denique τοῖς περιπάτοις ἀπὸ τῶν γυμνασίων, quae pluribus uideri possunt Lib. II. de Rat. Vict. Sect. IV. oper. p. 30. 31. Et quod Galenus de lapide laborantibus censuit, etiam de sanis sunt affirmanda: περίπατοι καὶ γυμνάσιαι πρὸς τὴν τῆς κάμνοντος (τῆς ἐνάστῃς) φύσιν ἔσωσαν σύμμετρα. ἢ γὰρ ἀργία βλαβερά. Tom. II. Op. P. IV. in διαγνώσει τῶν ἐν τοῖς νεφροῖς παθῶν p. 420. Vnde Celsus Lib. I. c. 1. p. 21. *Hominem, inquit, qui bene ualet, oportet uarium habere uitae genus, modo ruri esse, modo in urbe, saepiusque in agro, nauigare, uenari, quiescere interdum, sed frequenter se exercere. Siquidem ignauia corpus hebetat, labor firmat, illa maturam senectutem, hic longam adolescentiam reddit.* Addit his τέρψιν, seu oblectationem honestam noster, quae ita intelligenda est, ut non tantum nullam ex rebus, quae nos circumstant, sentiamus molestiam, uerum ut etiam ex bonis praesentibus uoluptatem percipiamus. Potest hoc autem, pro hominum indole uaria, uariis modis fieri. Etenim sunt, qui opibus, sunt, qui cibo et potu, sunt, qui uenere delectantur. Reperiuntur non minus, qui literis librisque, reperiuntur, qui honoribus, reperiuntur denique, qui aliorum stultitia laetantur, et quis omnia tandem hominum studia, quibus capti tenentur, enumeraret? Haec multa ad ualitudinem tuendam facere, pridem Medici perspexerunt. Galenus prouocat ad Hippocratem, qui in VI. ἐπιδημιῶν scribat: πόνοι, σίτα, ποτά, ὕπνοι, ἀφροδίσιαι, πάντα μέτρα, in quem locum ita commentatur: καὶ τὸ πόσον ἀφώρισεν ἀπασί, προδούς τὸ κατὰ τὸ τέλος τῆς ῥήσεως ὄνομα τὸ μέτρα, καὶ τὸν καμρὸν ἐδίδαξε τῇ τάξει λόγῃ· εἰς γὰρ τὴν τῆς υἰγείας φυλακὴν ἀρχει μὲν χρῆτὸς πόνοος, ἐπεὶ δὲ σιτία, καὶ ποτά,

ποτά, εἰδ' ἐξῆς ὕπνες, εἶτα ἀφροδίσια, μόνης τῆς ἀκμαζόντων &c. Tom. II. P. IV. Serm. 2. ὑγιειῶν p. 232. Ipse uero Hippocrates ita ueluti ex tripode pronunciat: ὄξυθυμὴ ἀνασπᾶ καρδίην, καὶ πνεύμονα εἰς ἐαυτά, καὶ εἰς κεφαλὴν τὰ θερμά, καὶ τὸ ὑγρόν. Ἡ δ' εὐθυμὴ ἀφίει καρδίην. Hipp. Sect. 7. p. 278. Quibus omnibus Ciceronis sententia comprobatur. Reliquum est, ut ἐλυσίαν κοιλίας, de qua iisdem uerbis meminit, consideremus. Ac de ea quidem nemo dubitat, quin conferuandam sanitatem plurimum iuuet. Confugiamus ad Coum nostrum, qui in auro cedroque dignis Aphorismis, ἐν τῆσι ταραχῆσι τῆς κοιλίης, inquit, καὶ τοῖσιν ἐμέτοισι, τοῖσιν αὐτομάτως γενομένοισιν, ἢν μὲν, ὅσα δὲ καθαίρεται, καθαίρωνται, ξυμφέρι τε καὶ εὐφώως φέρσιν Sect. VII. oper. p. 341. cuius sententiam magna consensione comprobatur Galenus, cum in egregiis de sanitate tuenda Libris, ubi passim aluum laxiorem comendat, tum statim ab initio Libri I. ὑγιειῶν T. II. P. IV. p. 221. Καί σοι δύο μὲν ἤδη σκοπούς τῆς δὲ κατὰ διαίταν ὑγιεινῆς ὁ λόγος ὕφηγῆσατο, τὸν μὲν ἕτερον ἀναπλήρωσιν τῶν κενυμένων, τὸν δ' ἕτερον ἀποκρίσιν τῶν περιττωμάτων. et post pauca: εἰ μὴ δὲν ἀμαρτάνοιτο, μήτε ἐν τῷ τὸ κενυμένον ἀναπληρῆσαι, μήτε ἐν τῷ τὰ περιττώματα μένειν ἔνδον, ὑγιάνοιτ' ἂν ἐν τῷ δὲ τὸ ζῶον, ἀκμάζοι τε μέχρι παμπόλλης. Ceterum si quis in compendio omnia, quae ad seruandam ualetudinem pertinent, legere uelit, adeat Galenum l. c. Cap. ultimo p. 231, ubi et Medicum eiusmodi, qui sanitatem hominum tuetur, auctoritate Erasistrati, ὑγιεινὸν recte uocari contendit, et omnia seruandae ualetudinis subsidia in προσφερόμενα, ποιούμενα, κενύμενα, καὶ ἐξωθεν προσπίπτοντα diuidit, atque ad προσφερόμενα quidem cibos, potus et genus istud medicamentorum refert, quod corpus ipsum intrare solet, ut et aërem inspiratum; ad ποιούμενα reuocat τρίψεις, περιπάτους, ὀχήσεις, καὶ ἰππασίαν, καὶ κίνησιν ἀπάσαν, ut et ἐγρηγόρσεις, ὕπνες καὶ ἀφροδίσια, ad κενύμενα trahit Φλεβοτομίας, καὶ κλυσηρας, καὶ ἄρα, καὶ τὴν κατὰ τὸ δέρμα διαπνοήν de Arte Medica T. II. P. III. p. 483. ad τὰ ἐξωθεν tandem προσπίπτοντα pertinere dicit τὸν περιέχοντα αἶθρα, καὶ ὅσα λεγομένοις, ἢ ἀλήφομένοις προσπίπτει τῷ δέματι, καὶ εἰ δὲ τι φάρμακόν ἐστιν, ἐκ ἐμβαῖνον ὄρεος ὑγιεινῆς, ὡς περ ἄλλες, ἢ μύρτα, ἢ νίτρον, ἢ ἀφρόντρον, ἢ τι τῶν αὐτοφυῶν ὕδατων δερμῶν T. II. P. IV. Serm. I. ὑγιειῶν p. 231. Ita uero ex uno Ciceronis loco omnia

ferre

fere, quae ad ὑγιεινήν spectant, fuerunt perlustrata. Neque ego existimo, opus esse, ut aliorum curam agamus, cum unus doceat, quod ex ceteris probandum esset, Arpinatem nostrum in eo artis salutaris capite, quod ualitudinem tueri monstrat, non parum fuisse uersatum.

VIII.

Quam ob rem ad alteram, eandemque principem, Medicinae partem aggrediamur, quae cum morbos depellere doceat, Θεραπευτικὴ uocatur. Nec uero huius Cicero prorsus expertus fuit, quamuis magis recondita sit uera eius cognitio, atque eruditis Medicis fere propria. Enimuero hic primo generatim notamus, Arpinatem nostrum probe habuisse perspectum, non licere Medicis, ut tutis semper remediis utantur, sed cum maior morbi uis ingruat, extremas etiam curandi rationes illis esse ineundas. Ita enim Lib. I. de officiis p. 1220. hac de re mentem exponit: *Medici leuiter aegrotantes, leuiter curant, grauioribus autem morbis periculosas curationes et ancipites adhibere coguntur.* In aliam quidem hic discedere sententiam uidetur Hippocrates, cum de Arte Medica Sect. I. Op. p. 5. hunc in modum differit: ἂν ἐστὶν ἡμῖν τοῖσι τε τῶν φύσεων, τοῖσι τε τῶν τεχνῶν ὀργάνοις ἐπικρατεῖν, τῶν ἐστὶν ἡμῖν δημιουργοῖς εἶναι, ἀλλῶν δὲ ἐκ ἐστίν. ὅταν ἂν τε παθῆ ἀνθρώπος κακόν, ὃ κρῆσόν ἐστι τῶν ἐν τῇ ἰητρικῇ ὀργάνων, εἰδὲ προσδοκᾶσθαι, δεῖ ὑπὸ ἰητρικῆς κρατηθῆναι ἂν. & in fine huius Libri: ἡ ἰητρικὴ ἐκ εὐδιωρθώτοισι δικαίως ἐκ ἂν ἐγχειρεῖοι τῆσι νόσοσι. Sect. I. p. 8. Verum loquitur aut de eiusmodi casu, ubi uel nulla prorsus ex arte medica iuuandi spes superest, quorum uero morborum paruum numerum esse existimat Galenus: ὀλίγα νοσήματα πάντῃ τὰ πάντως ἀναρῆσθαι, εἰὰν μὴθ' ὁ ἰατρὸς ἀμαρτάνοι, μὴθ' ὁ νοσῶν, μὴθ' οἱ ὑπὲρταται, μὴτ' ἄλλο τι τῶν ἐξωθεν ἐν τύχῃ γένηται βλαβερόν. in sext. ἐπιόημιον ὑπερνημ. β. Tom. III. P. V. p. 472. Idem enim ille in iureiurando Medico promittendum esse omnibus praecipit, quod κατὰ δύναμιν καὶ κρίσιν διαιτήμασι χρᾶσθαι ἐπ' ὠφελίῃ τῶν καμνόντων, καὶ ἐπὶ δηλήσει δὲ καὶ ἀδικίῃ εἶρξεν uelint Sect. I. Op. p. I., atq; adeo, quicquid cogitatione assequi possit, quo quaqua ratione aegro uitam seruet, quam periculosum etiam sit, illud afferendum,

illud applicandum, illud exequendum esse, suadet. Immo uero loquitur potius in supra excitatis uerbis Hippocrates de morbis, qui occulti sunt, necdum in certam cognitionem Medici peruenerunt. Illos omnino, quoad nondum satis perspecti sunt, aggredi tuto remedii non licet, sed expectandum est, dum prodant se, atque effectis quibusdam indolem suam manifestam apertius reddant. De quo quidem casu sermonem Coo nostro esse, cuius constabit, qui illum librum integrum perlegit. At Ciceronis uerba accipienda sunt de tanto uitae periculo, ubi, nisi extremam aliquam curandi rationem in eas, morti aeger eripi non potest. Eiusmodi tamen curationes suscipiendas esse, cum supra ex Hippocrate docuimus, tum uero etiam Galeni consensione comprobamus. Ita enim Lib. I. de Dynamidiis inscripto, ipsique tributo, loquitur: *Haec doctrina, complectens omnia experimenta, non debet Medicum latere. Quoniam si huic doctrinae operam dederit, omnes ualetudines, et uniuersas imbecillitates humanorum corporum per hanc doctrinam salubri auxilio superare poterit. Igitur totius corporis medicamina ad tria rediguntur adiutoria, medicamentum, ferrum, atque ignem. Quod enim medicamento curari non potest, ferro curare tentes, quodque ferro sanari non permittitur, igne curari conceditur, quod autem nec medicamento, nec ferro, nec igne curari poterit, incurabile cogitabis, quia nulla curam iam superari poterit.* T. III. op. Lat. Spur. p. 19.

IX.

Nec minus didicerat noster, si medicamentis utendum sit, tum ea in primis adhibenda esse, cum morbus, in primis adhuc initiis subsistit. Suadet igitur Attico, cum δυσρεία laboraret, ut mederetur, dum esset ἀρχή Lib. X. Epist. ad Atticum 10. p. 870. Quam quidem regulam Coo noster generatim in omnibus morbis obseruandam praescribit: ἀρχομένων τῶν νόσων, ἢν τι δοκέη κινεῖν, κίνει, ἀκμαζουσῶν δὲ, ἡσυχίην ἔχειν, βέλτιόν ἐστιν. Aphorism. Lib. II. Sect. VII. Op. p. 344. ad quam Galenus prouocat, eiusdemque uerum sensum exponit περὶ ἀρίστης αἰδέσεως Tom. I. P. I. p. 30. Quae causa est, quam obrem acute Hippocrates initio Libri παραγγελιῶν scribat: χρόνος ἐστίν, ἐν ᾧ καιρὸς, καὶ καιρὸς, ἐν ᾧ χρόνος ἔπαυσις ἀκρίσις χρόνος ἐστὶ δὲ ἡνίκα καὶ καιρῶν Sect. I. Oper. p. 27. Indidera factum est, ut tot audiantur medicorum, tum iuniorum, tum antiquo-

antiquorum, querelae, quod non prius ab aegris admittantur, quam morbis inueteratis, nec medelam patientibus. Recte hic iterum Coos noster: "Ἦν, ἐν ᾧ τῷτο ὀραῖται, κρατηθῆ, διὰ τὸ βραδέως αὐτὸν ἐπὶ τὸν θεραπεύοντα ἄθῆν, ἢ διὰ τὸ τῷ νοσήματος τάχος, οὐχίησεται. ἐξ ἴσθ μὲν γὰρ ὀρμώμενον τῇ θεραπείῃ, ἐκ ἑσὶ θάσσον. προλαβὼν δὲ θάσσον. προλαμβάνει δὲ διὰ τε τὴν τῶν σωμάτων σενότητα, ἐν ἣ ἐκ ἐν εὐόπτῳ οὐκῆσιν αἱ νῆσοί. διὰ τε τὴν τῶν καμνόντων ὀλιγορίην. ἐπιτίθενται γὰρ, λαμβανόμενοι δὲ ὑπὸ τῶν νοσημάτων, ἐδέλξει θεραπεύεσθαι. de Arte Sect. I. Op. p. 7. Sigillatim etiam recte hoc monebat Cicero in affectu δυσχρίας. Cum enim caussam hic agnoscat uiscidum et acrem humorem, qui sphincterem uesicae, quo contrahitur, stimulat, periculum omnino est, ut, quo diutius differatur curatio, hoc maiores excitet dolores, hocque maior mingendi difficultas pariat. Itaiam Galenus hac de re philosophatus est: Ἰσχυρία ἐστὶν ἡ τελεία ἐποχή τῶν ἔρων. τραχυγρία δὲ, ἡ κατὰ τραγγα ἔρησις. Καὶ δυσχρία τὸ αὐτὸ τῷτο μόνον ποιῶσα, δυσχρείαν τῷ ἀπχερεῖν. γίνεται δὲ ταῦτα διὰ πολλὰς αἰτίας, ὅτε μὲν διὰ τὸν λίθον ἐσφηνώμενον τῷ τραχήλῳ τῆς κύσως, καὶ τελῶς ἐμφράσσοντα τὸν πόρον, ἢ ἐννηχόμενον τῇ κύσει. Lib. quem Medicum, seu Introductionem uocauit T. II. op. P. IV. p. 383. Quae caussae omnes facile probant, non patit temporis moram huus morbi curationem, sed, quam fieri potest, celerrime esse sanandum.

X.

Χαλεπή τε καὶ ἐπικίνδυνος νῆσος, teste Hippocrate, est δυσεντερίη, quae non amplius alimenta corrupta per aluum copiose emittit, quod διαρροία competit, uerum acria purgat, et intestinum radit, atque exulcerat, et cruenta per aluum demittit. Quod quidem discrimen probe animaduertit Cicero, & διαρροία cum aliquando laboraret, δυσεντερίαν uero pertimesceret atque id recte, censente Coo: ἐπὶ διαρροία δυσεντερίη Sect. VII. Op. p. 861. rectam eam curandi rationem ingressus est. Narrat enim, se biduum ita ieiunium fuisse, ut ne aquam quidem gustauerit, ac languore, & fame fere fuerit confectus Lib. VII. Epist. ad Fam. 26. p. 697. Prorsus ad mentem Hippocratis ac Galeni, quibus ceteri in hac arte facile principatum relinquunt. Neque enim melius consilium suppetit Coo nostro, quo huic morbo occurratur felicius, quam abstinentia a cibo et potu. ἀλλὰ χρεῖ, inquit, προμηθεύεσθαι, καὶ τὸ ἀεῖσον ἀφαρέεσθαι, καὶ τῷ δειπνῆς τὸ τρίτον μέρος Sect. IV. Oper. p. 394. Huc referas elegantem eiusdem Aphorismum: τὰ μὴ κατὰ τὰ τῶν σωμάτων, οὐκῶσιν ἀνθεψῆς, μᾶλλον βλάψεις. Sect. VII. Op. p. 343. A cuius sententia nec discedit Galenus. Namque in Lib. IV. Hippocrat. περὶ ἀρθρων ita commentatur: Συμβυλεύειν χρεῖ τῷ τοῖσιν ἀπασιν (δυσεν-

τρεμκοῖς) ἐλάττω τ' ἐδίειν, ἢ πρόδεν, ὀλιγότροφά τε ταῦτα εἶναι καὶ συν-
 εχῶς ὑπάγειν γαστέρα. T. III. P. IV. op. p. 652. Venit in mentem recordari
 uerborum Celsi, qui egregie in hanc rem differit: *primo die quiescere*
satis est, neque impetum uentris prohibere. Si per se desinit, balneo uti,
paululum cibi capere, si mansit, abstinere non solum a cibo, sed etiam a
potione, postero die, si nihilominus liquida aluus est, aeque conquiescere,
paululum adstringentis cibi sumere. & post pauca: Ex toto donec conque-
scat, contra siti, fame, uomitu niti. Vix n. fieri potest, ut post hanc
animadversionem aluus non contrahatur. Lib. IV. c. 22. p. 242. Ne quis ue-
 ro existimet, Ciceronem forte fortuna hoc consilium iniisse, causam simul
 huius curationis prodit. Namque et generatim monet, edacitatem plerum-
 que huius affectus causam esse, uti *δυσχερίας* turpiorem intemperantiam, et
 sigillatim de se commemorat, quod cum in cœna augurali apud Lentulum
 a beta et malua, optime condita, esset deceptus, in hunc sit morbum colla-
 psus. Pari ratione Hippocrates hunc affectum inter eos refert, qui ἀπό πλε-
 σμονῆς oriantur l. c. Galenus uero *δυσχερασία* ascribit, qui simul de beta et
 malua ita iudicat: *εἰσίπῳς καὶ αἱ μαλαχαί, καὶ αἱ κράμβαι, καὶ τὰ τεύλα,*
καὶ αἱ θριθαίναι, καὶ ἀπλῶς εἰπεῖν, τὰ λάχανα σύμπαντα, καὶ αἱ ὀπῶ-
ραι τροφαί. περιέχεται γάρ τις ἐν αὐταῖς ὄστια τροφίμος, ἀλλ' ὥσπερ ἐπὶ
τέτῳ ὀλίγον μὲν ἐστὶ τὸ τρέφον, ἢ ὀλίγον δὲ τὸ ἀχρησον. Θεραπευτικῆς με-
θόδου Lib. 7. T. II. op. P. IV. p. 120. Igitur per contrarium uictum morbo ob-
 uiana iuit Cicero, quod & Hippocrates praecipit: *εἰ τὸ λυμαινόμενον αὐτῶν ἐστὶ*
τέτῳ τὸ ἕτερον, τῷ ὑπεναντίῳ προσήκει λύσαι. de prisca medicina. Sect. I. op.
 p. 14. et *βεβαϊότατόν τε καὶ πρῶτον φανεύσατον φάρμακον* uocat l. c. Galenus
 autem curandi hanc regulam non solum excitat: *τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἐστὶν*
ἰάματα Comment. 2. in Libr. I. ἐπιδημιῶν T. III. op. P. V. p. 359., uerum etiam
 fallere uix arbitratur: *Ὅν μὴν διάγῃς τέτο ποτε μὲν ἀληθές γίνεται τὸ τα ἐ-*
ναντία τῶν ἐναντίων ὑπάρχειν ἰάματα, πότε δὲ ψεῦδος, ἀλλὰ διὰ παντός
μένει ἀληθές. Θεραπευτικῆς μεθόδου Lib. 1a Op. T. II. P. IV. p. 156. Aut fal-
 limur igitur toti, aut demonstrauius luculenter, Oratorem nostrum in arte sa-
 lutari, eiusdemque capitibus primariis, ὑγιεινῇ pariter ac *θεραπευτικῇ*, egre-
 giam monstrasse cognitionem, quae hoc majori admiratione digna est, quo
 arctiori consensione eum excellentissimorum uirorum doctrina, iuxta et experi-
 entia, conspirat. Neque adeo de Cicerone ualet, quod Celsus de sapientiae stu-
 diosis generatim ait: uerba illis superesse, deesse medendi scientiam. Lib. I. p. 8.
 Nunc ad eas nos partes conuerteremus, quae primis inferuiunt, earundemque
 dignitatem augustiorum reddunt, nisi occasione alii operam eam referuare prae-
 staret. Quamobrem hic subsistimus, & nos perinde, ac conuentionem hanc
 nostram. Lectoris beneuolentiae commendamus.



B.I.G.

Farbkarte #13

inches
Centimetres

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

B. m. II

IIc
664

2. D. B. V.

CTORIS MAGNIFICENT
SSIMI PRINCIPIS REGII
DOMINI

RICI AVGVSTI
ERONEM
DICVVM

PRAESES

MVEL BERGERVS
ITEMBERG. SAXO

COMMILITONE

CHRISTOPHORO VRSINO

MED. C

ERTATIONE PRIORI

K. KAL. IVNIAS

A. R. C

∞ IO CC XI

BAT PARITER AC TVETVR

EMBERGAE SAXONVM
RELO SCHVLZIANO

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA